



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Compendium Totius Tractatus De S. Matrimonij  
Sacramento R. P. Thomæ Sanches E Soc. Iesv**

**Sánchez, Tomás**

**Coloniæ Agrippinæ, 1624**

28. Consulere.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41559**

rate, nec vidisse, nec audisse, benè probatur talis consuetudo, *lib. 7. disp. 17. n. 8.*

5 Consuetudo obtinens, liberum esse seruum, qui ducit ancillam, valet etiam quoad alienigenam contrahentem, ubi viget consuetudo. Secus, si ignorans consuetudinem contraxit, *lib. 7. disp. 21. nu. 4.*

*Consulere.*

1 Consulere minus malum, gratiâ vitandi maioris, quando aliter evitari nequit, licitum est etiam, & persuadere, & opem ferre sine obligatione restitutionis, licet ad utrumque non sit determinatus, proponendo illi minus malum. Nunquam tamen est licitum offerre complicem, cum quo admittendum. Et requiritur, quod omnino ad maius sit determinatus. Non tamen est necessarium exprimere eam conditionem, (si maius malum facturus es.) Et non solum privato licitum est consulere alteri minus malum ad vitandum maius, sed etiam parentibus, confessoribus, & iudicibus, quando aliter non possunt impedire. Et hi potentes impedire aliam viam utrumque damnum, tenentur restituere minus consulentes, *lib. 7. disp. 11. à nu. 14. vsque ad 23.*

3 Quando maius, vel minus damnum non est eidem personæ, sed diuersis inferendum, non licet consulere minus damnum inferri vni, ad vitandum, ne maius inferatur alteri, nisi ad ambos determinatus esset, & damnum vnius est modicum, alterius vero magnum, vt

vnus



vnus pauper, alius diues, *lib. 7. disput. 11. num. 24.*

3 Volenti mea bona rapere, licet ad illa tuenda consulere, vt alterius rapiat, nul à nominatâ personâ, dicens, si furari vis, sine me, multi alij sunt, à quibus possis furari, *lib. 7. disput. 11. num. 25.*

4 Vtrum liceat consulere æquale malum ad vitandum æquale? Affirmat Doctor minime videre rationem, qua id concedi possit: fatetur tamen libenter, hunc consulentem excusari à restitutione, si erat omnino æquale, eidemque alterutrum absque eo consilio certissime inferendum, *lib. 7. disp. 11. nu. 26.*

5 Licet nemini tali consilio vti, v. g. consulere sibi minus malum, quia potest, & tenetur vtrumque cauere, nec potest patrare peccatum veniale, vt caueat in se, vel in alio mortale grauissimum, *lib. 7. disp. 11. n. 27.*

6 Habenti votum castitatis, aut reliqua matrimonium impediencia, & ita carnis illecebris agitato, vt se continere nequeat, sed passim succumbat, licite suaderi potest, vt matrimonium ineat, vt sic minus peccet, *l. 7. disp. 11. nu. 29.*

#### Contemptus.

1 Contemptus constituens culpam mortalem in his, quæ ex solo contemptu culpam lethalem debent habere, est ille, quando aliquis nihili facit, ac si esset vanum, vt in Sacramento Confirmationis, si pro nihilo duceretur, quasi